

BUCHANAN (George)

MISCELLANEA (839 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition de 1725, publiée en Hollande, chez J. A. Langerak.

GEORGII BUCHANANI SCOTI MISCELLANEORUM LIBER

AD INVICTISSIMUM FRANCUAE REGEM HENRICUM II POST VICTOS CALETES.

M_1 v.1 Non Parca fati conscia, lubricae
 2 non sortis axis sistere nescius,
 3 non siderum lapsus, sed unus
 4 rerum opifex moderatur orbem,
 5 qui terram inertem stare loco jubet,
 6 aequor perennes volvere vortices,
 7 caelumque nunc lucem tenebris,
 8 nunc tenebras variare luce ;
 9 qui temperatae sceptrā modestiae
 10 dat, et protervae frena superbiae,
 11 qui lacrimis foedat triumphos,
 12 et lacrimas hilarat triumphis.
 13 Exempla longe ne repetam : en jacet
 14 fractusque et exspes, quem gremio suo
 15 fortuna fotum nuper omnes
 16 per populos tumidum ferebat.
 17 Nec tu, secundo flamine quem super
 18 felicitatis vexerat aequora,
 19 Henrice, virtus, nesciisti
 20 imbriferāe fremitum procellae.
 21 Sed pertinax hunc fastus adhuc premit
 22 urgetque pressum, et progeniem sui
 23 fiducia pari tumentem,
 24 clade pari exagitat Philippum.
 25 Te, qui minorem te superis geris,
 26 culpamque fletu diluis agnitam,
 27 mitis Parens placatus audit
 28 et solitum cumulat favorem,

29 redintegratae nec tibi gratiae
 30 obscura promit signa. Sub algido
 31 nox Capricorno longa terras
 32 perpetuis tenebris premebat,
 33 rigebat auris bruma nivalibus,
 34 amnes acuto constiterant gelu,
 35 deformis horror incubabat
 36 jugeribus viduis colono.
 37 At signa castris Francus ut extulit,
 38 ductorque Franci Guisius agminis,
 39 arrisit argenti sub Arcto
 40 temperies melioris aurae.
 41 Hiems retuso languida spiculo
 42 vim mitigavit frigoris asperi :
 43 siccis per hibernum serenum
 44 nube cava stetit imber arvis.
 45 Stravit quietis aequora fluctibus
 46 Neptunus, antris condidit Aeolus
 47 ventos, nisi Francas secundo
 48 flamine qui veherent carinas.
 49 Per arva nuper squalida, et ignibus
 50 adhuc Britanni paene calentibus,
 51 cornu benigno commeatus
 52 copia luxurians refudit.
 53 Idem ut reductas condidit oppidis
 54 Francus cohortes, mitis hiems modo
 55 se rursus armavit procellis,
 56 et positas renovavit iras.
 57 Stant lenta pigro flumina marmore,
 58 canisque campi sub nivibus latent,
 59 diverberatum saevit aequor
 60 horrifera Aquilonis alis.
 61 Ergo nec altis cincta paludibus
 62 tulere vires moenia Gallicas,
 63 nec arcibus tutae paludes,
 64 praecipitem tenuere cursum.
 65 Loraene princeps, praecipuo Dei
 66 favore felix, praecipuas Deus
 67 cui tradidit partes, superbos
 68 ut premeres domitrice dextra,
 69 unius anni curriculo sequens
 70 vix credet aetas promeritas tibi
 71 tot laureas, nec si per auras
 72 Pegasea veherere penna.
 73 Cessere saltus ninguidi, et Alpium
 74 inserta caelo culmina, cum pater
 75 Romanus oraret propinqua ut
 76 subjiceres humeros ruinae.
 77 Defensa Roma, et capta Valentia,
 78 coacta pacem Parthenope pati,
 79 fama tui Segusianus
 80 Barbarica face liberatus.
 81 Aequor procellis, terra paludibus,
 82 armis Britannus, moenia saeculis
 83 invicta longis, insolentes
 84 munierant animos Caletum,

85 Loraena virtus, sueta per invia
 86 non usitatum carpere tramitem,
 87 invicta devincendo, famam
 88 laude nova veterem refellit.
 89 Ferox Britannus, viribus antehac
 90 Gallisque semper cladibus imminens,
 91 vix se putat securum ab hoste,
 92 fluctibus Oceani diremptus.
 93 Regina, pacem nescia perpeti,
 94 jam spreta maeret foedera, jam Dei
 95 iram pavet sibi imminentem,
 96 vindicis et furiae flagellum.
 97 Cives et hostes jam pariter suos
 98 odit pavetque, et civium et hostium
 99 hirudo communis, cruorem
 100 aequae avidae sitiens utrumque.
 101 Huic luce terror Martius assonat,
 102 diraeque caedis mens sibi conscia,
 103 umbraeque nocturnae quietem
 104 terrificis agitant figuris.
 105 Sic laesa poenas justitia expetit,
 106 fastus superbos sic Nemesis premit,
 107 sic mitibus justisque praebet
 108 mitis opem Deus atque justus.

IN CASTITATEM

M_2 v.1 Castitas blandi domitrix amoris,
 2 castitas vitae specimen prioris,
 3 labe cum puras soboles colebat
 4 aurea terras.
 5 Castitas virae specimen futurae,
 6 morte cum victa, sociata membris
 7 pura mens puris, radiantis aulam
 8 incolet aethrae.
 9 Una nec certam Veneris sagittam,
 10 jura nec fati metuis severi,
 11 quippe quae rursus moriente major
 12 morte resurges.
 13 Pura cum puris agites ut aevum
 14 Angelis, quorum studium secuta,
 15 colliges fructus socios secundae
 16 reddita vitae.

DE AMORE COSSAEI ET ARETES.

M_3 v.1 Quo te sub antro, quo nemorum avio,
 2 aestus levantem frigore languido
 3 Cossaeus aspexit, profanis
 4 cerni oculis, Arete, insolentem ?
 5 Tu cura es illi, seu roseo dies
 6 arridet ortu, seu medio dies
 7 incandet aestu, sive caelum
 8 nox tacitis operit tenebris.

9 Tu si vocaris, per juga Caucasi
 10 te belluosi, torrida solibus
 11 per tesqua Maurorum, per aequor
 12 puppibus indomitum sequetur.
 13 Non tecta tectis, praedia praediis,
 14 aurumve stratis cogere montibus,
 15 non certat Eoum decoris
 16 Oceanum spoliare gemmis :
 17 non otiosa lentus inertia
 18 vitae fugacis ver breve carpere,
 19 somnoque jucundo molestas
 20 aegri animi relevare curas.
 21 Unam irretorto lumine te videt,
 22 unam inquieta sollicitudine
 23 te spectat absentem, invocatque,
 24 te dominam veneratur unam.
 25 Non ille compta molle nitens coma
 26 te, nec Sabaeis ambit odoribus ;
 27 non improbus captat dolosis
 28 illecebris animum rebellem.
 29 Sed luce ferri luctifica minax,
 30 pectusque squamis asper aheneis,
 31 aut spumeos frenos fatigans
 32 quadrupedis praeaeuntis Euros :
 33 qualis virentem Mars prope Strymona
 34 exercet acrem quadrijugum fugam,
 35 seu Parthiae cladem feroci,
 36 seu gelido meditatatur Istro.
 37 Nec tu labores despicias anxios,
 38 te nacta dignam scilicet indolem,
 39 nec credulum pascens amorem
 40 spe sterili crucias amicum.
 41 Seu per procellis feta nivalibus
 42 praerupta, et Alpes agmen agit feras,
 43 seu per tumentes imbre fluctus,
 44 seu validas labefactat arces :
 45 tu dux per Alpes pandis iter feras,
 46 amnes frementes pontibus alligas ;
 47 tu claustra portarum revellis,
 48 et peragis sine caede bella.
 49 Quacumque justas, te duce, verterit
 50 Cossaeus iras, luridus anteit
 51 pallor, tremor, terror, pavorque
 52 depositis male fortis armis.
 53 Tu dura Rheni pignora, et asperos
 54 Lari colonos, tu Ligurem levem
 55 et Cantabrum exarmas, docesque
 56 indocili juga ferre collo,
 57 quacumque amicos, te duce, verterit.
 58 Vultus, per agros pax nitet aurea,
 59 pax laeta securas per urbes
 60 fundit opes facilemque somnum :
 61 hostes quietis, fraus male callida
 62 et vis facessunt cana iterum Fides
 63 terras revisit Veritasque,
 64 Justitiae reducis sorores.

65 O Diva, custos pacis amabilis,
 66 bellique formidabilis arbitra,
 67 quae jura fatorum superba
 68 non metuis dominasque Parcas :
 69 fac ne maligni injuria temporis
 70 tot vestri amoris pignora deleat,
 71 aut obruunt caecae sepulta
 72 sub tenebris taciturnitatis.

AD FRANCISCUM OLIVARIUM FRANCIAE CANCELLARIUM, Ευχαριστικόν.

M_4 v.1 Si quod sub antro Castalio latet
 2 carmen repostum, quod fera robora,
 3 quod saxa ducat, fluminumque
 4 praecipites remoretur undas ?
 5 Nunc prome sacri, Calliope, chori
 6 regina, Olivari et memora piam
 7 mentem Camenarum erga alumnos,
 8 et memori refer ore grates :
 9 qui, quamquam ab alto culmine Gallicae
 10 rei gubernet munia publicae, et
 11 a rege permissas habenas
 12 imperio moderetur aequo,
 13 nec fasci iniquo subditus ingemit,
 14 nec re secunda turgidus intumet,
 15 utraque fortuna peraeque
 16 infragilisque animique rectus.
 17 Interque curae pondera publicae
 18 Martisque vixdum compositas minas,
 19 non negligit ceu se minores
 20 vulgi humiles tenuis querelas.
 21 Et quamquam honoris contigit hunc gradum,
 22 quo celsius nil ambitio impotens
 23 sperare possit, pectorisve
 24 compositi moderamen optet :
 25 olim in juventa Pieridum comes
 26 Clarus per illas redditus, ac potens,
 27 agnoscit acceptos honores,
 28 Pieridum pater ac patronus.
 29 Quod si ad Garumnae littora Vasconis
 30 abs te impetrato perfruar otio,
 31 liberque curis entheoque
 32 Pieridum furiatus oestro ;
 33 si nostra cultus indiga splendidi
 34 Camena, silvis aptior asperis,
 35 aulae reformidet nitorem
 36 et dociles melioris urbes,
 37 echo loquaci te scopulo latens,
 38 amnisque densa cinctus arundine,
 39 fontesque, Olivari, sonabunt,
 40 et virides nemorum recessus.

IN POLYONYMUM

M_5 v.1 Lusitanicus unus es mare ultra, et
 2 citra Algarbicus, Indicusque, Arabsque,
 3 Persicus, Guineusque, et Africanus,
 4 Congusque, et Manicongus et Zalophus :
 5 nec tuis titulis abest superbis
 6 Aethiops nimio perustus aestu,
 7 nec circum triplicem refusus orbem
 8 cunctarum Oceanus parens aquarum :
 9 nec portus, neque merx, neque insula ulla est,
 10 lucelli unde levis refulget aura,
 11 quae te non titulo augeat. Tot ergo
 12 cui sunt nomina, nonne jure Regem
 13 multis nominibus vocabo magnum ?
 14 Sed Rex nominibus tot ille magnus,
 15 si belli furor, aut mare aestuosum
 16 occludat piperariam tabernam,
 17 famam fenore pransitabit emptam,
 18 versuram faciet vel esuribit.

IN LEONORAM

M_6 v.1 Cum faciem nimbo madidam, Leonora, viderem,
 2 et cerussatas arte nitere genas,
 3 pingere credideram solum te scire : probavi
 4 ex facie doctam terque quaterque manum.
 5 At simul aurato mihi fulserat annulus aere,
 6 quaeque nitet digitis vitrea gemma tuis ;
 7 non animo tantum didici te fingere, verum
 8 certant cum vaftris aemula signa dolis.
 9 Fictum animum, pictamque cutem, fraudesque latentes
 10 aes breve tam certis exprimit indiciis,
 11 ut te non melius potuisset pingere Apelles,
 12 fingere vel fuso doctius aere Myron.

AD PEIRIDEM LENAM

M_7 v.1 Lena tibi est genitrix, tu matris filia pellex,
 2 et tua suscipiet filia matris onus.
 3 Cumque tibi fratrem prudens natura negasset,
 4 in Monachis fratrum tu quoque nomen amas.
 5 Quam bene quod primis pater est tibi mortuus annis,
 6 ne natae jam plus quam pater ille foret.
 7 Exsulat extremos tibi vir depulsus ad Indos,
 8 proque viro lixas diligis atque coquos.
 9 Consobrina suos tecum partitur amores,
 10 et tibi crisanti Aethiopissa tribas.
 11 Nescio quid monstri celas, Leonora, reclusi,
 12 quando tibi solum monstra pudenda placent.
 13 Impietas odisse suos est maxima, verum
 14 impietas sic est major amate suos.

AD HENRICUM II FRANCIA REGEM DE SOLUTA URBIS MEDIOMATRICUM OBSIDIONE.

M_8 v.1 Caelo vetustas intulit Herculem
 2 mirata monstris letiferam manum :
 3 flammisque stellatus refulget
 4 saxificae domitor Medusae.
 5 Si poscat aequo nuda sub arbitro
 6 virtus honores, impiger Hercules,
 7 Henrice, concedet priores
 8 jure tibi volucerque Perseus.
 9 Nam multiformi tu numerosius
 10 Hydra, Medusa pestiferum magis
 11 monstrum repressisti, impetusque
 12 prodigii retudisti inanes.
 13 Occasum et Arcton jam comitem trahens,
 14 et arma Eoae Carolus Austriae,
 15 torrentis hiberni petebat
 16 more furens populator urbes.
 17 Sub Semimauro Caesare, pro pudor !
 18 Germana virtus cesserat, Italum
 19 indocta libertas tyranni
 20 ferre jugum tacite fremebat.
 21 Spes inquietae blanda cupidinis
 22 nutrix in orbem vota tetenderat,
 23 rerumque fastus somniabat
 24 Imperium, male certus augur.
 25 Tu, bellicosae dux bone Galliae,
 26 sperare promptam cuncta superbiam
 27 compescuisti ; tu dedisti
 28 indomito laqueos furori.
 29 Quis vultus illi ? Qui dolor intimis
 30 arsit medullis ? Spiritus impotens
 31 cum claustra spectaret Mosellae
 32 et juvenum intrepidam coronam.
 33 Sic unda rupes saevit in obvias,
 34 clausus caminis ignis inaestuat,
 35 Hyrcana sic tigris cruento
 36 dente suas furit in catenas.
 37 Sed nota Marti dextra Bironii,
 38 murisque virtus impatiens tegi
 39 ut fulsit, et pulsi procella
 40 cornipedum tremuere campi
 41 ceu nocte suetae degeneres ferae
 42 vexare caulas in timidum pecus
 43 fortes, ad aspectum leonem
 44 in latebras pavidae recurrunt :
 45 sic ille nuper spe insatiabili
 46 complexus orbem, robora Galliae
 47 spectare vix ausus, recurrit
 48 ad solitas male cautus artes.

AD JUVENTUTEM BURDEGALENSEM.

M_9 v.1 Vasconis tellus, genitrix virorum
 2 fortium, blandi genitrix Lyaei,

3 cui parens frugum favet, et relictis
 4 Pallas Athenis.
 5 Te licet claris decoret triumphis
 6 Martius belli labor, et vetusti
 7 nominis splendor, seriesque longum
 8 ducta per aevum ;
 9 ni tamen doctas foveas Camenas
 10 et bonas artes opera fideli,
 11 spes tuas vano studio in futuros
 12 porrigis annos.
 13 Non enim moles Pariae columnae,
 14 Phidiae aut vivax ebur, aut Myronis
 15 aera mansurae poterunt sacrare
 16 nomina famae.
 17 Obruet longos cita mors labores,
 18 obruet claros titulos opesque ;
 19 saxa findentur vitiata serae
 20 dente senectae.
 21 Mulciber quamvis et iniqua Juno
 22 verterint urbem Priami superbam,
 23 illa Smyrnaeis inimica pensat
 24 fata Camenis ;
 25 nec suo mallet cineri superstes
 26 Ilium Eois dare jura terris
 27 qua patent nigros Rhodope ab nivosa
 28 usque sub Indos.
 29 Sola doctorum monumenta vatium
 30 nesciunt fati imperium severi,
 31 sola contemnunt Phlegethonta, et Orci
 32 jura superbi.

MARCO ANTONIO MONLUCIO.

M_10 v.1 Monluci, armatae regeres ut frena cohortis,
 2 supra annos virtus consiliumque dedit.
 3 Supra annos animi vis Martia perdidit ausum
 4 obvia fulmineo pectora ferre globo.
 5 Quem super astantem muros prius horruit hostem,
 6 postea defuncti vindicis ossa colit.

CALENDAE MAIAE.

M_11 v.1 Salvete sacris deliciis sacrae
 2 Maiae Calendae, laetitiae, et mero,
 3 ludisque dicatae, jocisque,
 4 et teneris Charitum choreis.
 5 Salve voluptas, et nitidum decus
 6 anni recurrens perpetua vice,
 7 et flos renascentis juventae
 8 in senium properantis aevi.
 9 Cum blanda veris temperies novo
 10 illuxit orbi, primaque saecula
 11 fulsere flamenti metallo
 12 sponte sua sine lege justa :

13 talis per omnes continuus tenor
 14 annos tepenti rura Favonio
 15 mulcebat, et nullis feraces
 16 seminibus recreabat agros.
 17 Talis beatis incubat insulis
 18 felicis aurae perpetuus tepor,
 19 et nesciis campis senectae
 20 difficilis, querulique morbi.
 21 Talis silentum per tacitum nemus
 22 levi susurrat murmure spiritus,
 23 Lethenque juxta obliviosam
 24 funereas agitat cupressos.
 25 Forsan supremis cum Deus ignibus
 26 piabit orbem, laetaque saecula
 27 mundo reducet, talis aura
 28 aetherios animos fovebit.
 29 Salve fugacis gloria saeculi,
 30 salve secunda digna dies nota,
 31 salve vetustae vitae imago,
 32 et specimen venientis aevi.

ALEXANDRO COCBURNO.

M_12 v.1 Ingratis vexata hominum Natura querelis,
 2 et sterilis lassis credita visceribus,
 3 Cocburnum in lucem dedit, et rude pignus alendum
 4 Mnemosynes natis tradidit et Sophiae :
 5 sors, ubi maturis accessit robur ab annis,
 6 addidit et dotes ambitiosa suas.
 7 Sed sibi praeferri Virtutem irata, doloris
 8 exegit poenas vindice morte sui.
 9 Si numeros annos, cecidit florente juventa,
 10 si studia et mores et benefacta, senex.

AD THOMAM CROMELIUM ANGLUM.

M_13 v.1 Portus et afflictis statio tutissima rebus,
 2 et nostro miseris sola sub axe salus,
 3 vindice quo floret pietas rediviva parentum,
 4 sancta que cum nivea simplicitate fides ;
 5 illius haud dura munuscula suscipe vultu,
 6 mente tuus tota qui cupit esse cliens ;
 7 qui vagus, exul, inops, terra jactatur et unda,
 8 per mala quae falax omnia mundus habet,
 9 dum ferox hinc saevit veterani exercitus hostis,
 10 dum tonat horrificas Principis aula minas,
 11 dum nivibus canent impervia culmina montes,
 12 dum valles nimis impediuntur aquis :
 13 post mala tot fessus velut Atthida stratus ad aram
 14 ante tuos supplex offero dona pedes,
 15 ingenii sterilis tenui de messe maniplos
 16 quos dat non fallax, sed male cultus ager.
 17 Si placeant, librul, si non, amplectere mentem,
 18 majus erit voto, si fit utrumque, meo.

EPITAPHIUM NICOLAI BACONIS PROCANCELLARII ANGLIAE.

M_14 v.1 Hic Nicolaum ne Baconem conditum
 2 existima illum tamdiu Britannici
 3 regni secundum columen, exitium malis,
 4 bonis asylum, caeca quem non extulit
 5 ad hunc honorem fors, sed aequitas, fides,
 6 doctrina, pietas, unica et prudentia.
 7 Neu morte raptum crede, qui unica brevi
 8 vita perennes emerit duas : agit
 9 vitam secundam caelites inter animus ;
 10 fama implet orbem, vita quae illi tertia est.
 11 Hac posita in ara corpus animi olim domus,
 12 ara dicata sempiternae memoriae.

AD HENRICUM VIII ANGLIAE REGEM.

M_15 v.1 Fama levis (si certa fides adhibenda poetis)
 2 ex humili enascens paulatim assurgit, et alto
 3 vertice caeruleo sese inferit ardua caelo.
 4 Quippe velut tenui nascens de fomite rivus
 5 per tacitas primum nullo cum murmure valles
 6 serpit, et ut patrii se sensim e margine fontis
 7 largius effudit, pluvios modo colligit imbres,
 8 nunc lacubus sese pigrisque paludibus auget :
 9 at postquam spatio vires accepit et undas,
 10 spumeus effractis prorumpit in aequora silvis.
 11 Sic primo summissa metu vaga fama susurrat ;
 12 mox vulgo insinuat se : postquam audacia crevit,
 13 torva oculos, vultuque minax, atque ore procaci,
 14 certa auget dubiis, miscet mendacia veris.
 15 Illa sed in cunctos nimium Dea prodiga, facti
 16 infectique loquax, in te tamen invida laudis,
 17 Parca sui, studioque animi deprensa maligno est.
 18 Nam licet ingenti praeconia fuderit ore,
 19 speque tui adventus animos implerit et aures,
 20 laudibus inferior tanto est virtute tuique
 21 dotibus ingenii, quanto se attollere vero
 22 altius et vano solita est splendescere fuco.
 23 Illa quidem haud falso mentis celebravit acumen,
 24 ingeniumque capax, et primis semper ab annis
 25 pectora Cecropiae studiis addicta Minervae :
 26 nec tacuit recti memorem, sanctaeque tenacem
 27 justitiae mentem, miserisque in rebus egenis
 28 praesidium, poenam malis, nulloque favore
 29 ancipites inter corda inclinantia lites.
 30 Magna (nec inficior) sunt haec, sed summa tuarum
 31 non ibi consistit laudum nec terminus haeret.
 32 Scilicet in tanto fortis splendore secundae
 33 nosse modum, quantoque supra virtutibus omnes
 34 omnibus emineas, tanto submissius aequo
 35 te gerere in cunctis, taetrico nec honore severum,
 36 nec fracta gravitate levem, non ore superbum,

37 non tristem aspectu, vultusque horrore minacem,
 38 sed comem, placidumque bonis, placabilis irae,
 39 quique magistratus largissima frena remittas
 40 sponte tua, salva quoad majestate liceret.
 41 Haec tua te vertus Diis immortalibus aequum
 42 efficit, atque hominum supra fastigia tollit.

MUTUUS AMOR.

M_16 v.1 Armata telis dexteram,
 2 laevam veneno saeviat
 3 mors ; cuncta tempus demetat
 4 falce, aut senecta deterat :
 5 non mortis hoc propinquitas,
 6 non temporis longinquitas
 7 solvet, fides quod nexuit
 8 intaminata vinculum.
 9 Mors et senectus obruit
 10 cum Scipione Laelium,
 11 canam fidem non obruit,
 12 non pectorum constantiam.
 13 Durabit usque posteris
 14 intaminata saeculis
 15 sincera quae Britannidas
 16 nectit fides Heroidas.
 17 Rerum supremus terminus
 18 ut astra terris misceat,
 19 Regina Scota diliget
 20 Anglam, Angla Scotam diliget.

IN LEONORAM.

M_17 v.1 Siccine de nostra numquam egrediere culina,
 2 pinguibus et fies semper amica coquis ?
 3 Usque coquum coquus expellit, fit protinus haeres
 4 successorque tuo fit nova praeda toro.
 5 Jamque etiam hesternas deglubere coeptat ofellas,
 6 crescit et in mores filia parva tuos :
 7 lingit et argentes concreto jura patellas,
 8 nudaque jejunae praeripit ossa cani.
 9 Sic tener, et firmis nondum satis unguibus ursus
 10 magnanimo lambit vulnera facta patri.
 11 Munus obire potest, Leonora, decentius istud
 12 longaeva senior cana parens Hecuba,
 13 efferat annosos rabies cui spumea rictus,
 14 et latrat, patulo dum cupit ore loqui :
 15 et stipis exiguae si spes accessit, adulat,
 16 nec quicquam in dura fronte pudoris habet.
 17 Illa analecta legat, dentes illi ossa fatigent :
 18 cum canibus certet de dape paene canis.
 19 Tu juvenum potius validis obnitere nervis,
 20 et facie atque annis concipe digna tuis.
 21 Filia parva aviam spectet matremque, et utrimque
 22 spem capiat vitae consiliumque suae.

AD EAMDEM.

M_18 v.1 Vive male, Monachique tui, lixaeque, coquique,
 2 mater edax, illex filia, nigra tribas.
 3 Ne tamen interea vestri immemor arguar esse,
 4 vos penes hoc nostri pignus amoris erit.

IN LEONORAM.

M_19 v.1 Mendicis aetas Monachis tibi prima dicata est,
 2 jam tibi matura sola culina placet.
 3 Divinare licet, sed non libet, et pudet, aevo
 4 excipies quales deteriore viros.

IN NEAERAM.

M_20 v.1 Cum pulchram roseus dies Neaeram
 2 ostendit mihi, sic miser furore
 3 inquietus agor, trahor, peruror,
 4 ut rursus tacitas amem tenebras,
 5 ceu mali medicina sint tenebrae.
 6 At cum nox tenebris opaca caecis
 7 jam solis jubar aureum fugavit,
 8 et solis jubare aureo refulgens
 9 jubar splendidiusque, puriusque,
 10 formosam mihi sustulit Neaeram,
 11 jam rursus tenebras malas perosus,
 12 pulchram cernere quae negant Neaeram,
 13 noctem deprecor, et diem reposco,
 14 quae pulchram mihi referat Neaeram,
 15 ceu mali mihi causa sint tenebrae.
 16 Quis vitae manet ordo me modusque ?
 17 Cui vota ut tribuant, Dei faventes,
 18 cum votis neque Dii dabunt faventes,
 19 ne miserrimus esse perseverem.
 20 Hoc Venus probat, et probat Cupido
 21 Diis votisque potentior secundis.

IN JULIUM II PONTIFICEM.

M_21 v.1 Genua cui patrem, genitricem Graecia, partum
 2 pontus et unda dedit, num bonus esse potes ?
 3 Fallaces Ligures, et mendax Graecia, ponto
 4 nulla fides. In te singula solus habes.

DE NICOTIANA FALSO NOMINE MEDICAEA APPELLATA.

M_22 v.1 Doctus ab Hesperiiis rediens Nicotius oris,
 2 Nicotianam rettulit,
 3 nempe salutiferam cunctis languoribus herbam,
 4 prodesse cupidus patriae.

5 At Medice Catharina, katharma luesque suorum,
 6 Medea saeculi sui,
 7 ambitione ardens, Medicaeae nomine plantam
 8 Nicotianam adulterat :
 9 utque bonis cives prius exuit, exuere herbae,
 10 honore vult Nicotium.
 11 At vos auxilium membris in quaeritis agris,
 12 abominandi nominis
 13 a planta cohibete manus, os claudite, et aures
 14 a peste taetra occludite :
 15 nectar enim virus fiet, panacea venenum,
 16 Medicaea si vocabitur.

AD CAROLUM COSSAEUM BRIXIACI DYNASTAM, POST CAPTAS VERCELLAS.

M_23 v.1 Quis ma nivosos Alpium trans vertices
 2 curru volucris deferet ?
 3 Quis nube saeptum me remotis Pegasus
 4 sistet jugis Oenotriae ?
 5 Non ut parentum laude Romam, vel sua
 6 virtute Venetum nobilem,
 7 fratrisve flammis et sororum lacrimis
 8 Padum calentem conspicer :
 9 sed te, beatae lux beata Galliae
 10 Cossae, proprius ut colam,
 11 te mirer Italum, te Pelasgum gloriam,
 12 splendore fuscantem novo :
 13 ceu sol Dianam, ceu Diana ceteras
 14 obscurat astrorum faces.
 15 Nec pectus hac mi perculit cupidine
 16 florentis aevi gloria :
 17 seu pertinacem cum Batavum impelleres,
 18 saeva tremendus cuspidem,
 19 qualis columbas spargit imbelles fuga
 20 ales minister fulminis :
 21 seu cum decoro squalidum te pulvere
 22 mirata quondam est Ruscino,
 23 solum feroces bellicosae Iberiae
 24 parma morantem exercitus ;
 25 tunc cum tuorum fida castrorum comes
 26 attonita Virtus par novum
 27 spectavit, hinc virum, inde bellum, et horruit
 28 quode fecerat spectaculum.
 29 Vercella pectus una sollicitat meum,
 30 Vercella sola macerat,
 31 Vercella vicat, Galliis, dum vincitur,
 32 felicior victricibus ;
 33 virtute tanta cominus cui perfrui
 34 indulsit astrorum favor,
 35 inusitato quam theatrum caelites
 36 elegerint spectaculo ;
 37 cum, te chorago, pace cum placida feram
 38 Mars copulavit dexteram ;
 39 Bellona mitis frena legum pertulit,
 40 innoxioque foedere

41 vis aequitati juncta, jus licentiae
42 secura pressit compita,
43 salvoque recti et improbi discrimine
44 castris forum se miscuit.
45 Quem nuper inter arma fossarum morae,
46 celsaeque pinnarum minae,
47 tot stricta tela, plumbeaeque grandinis
48 procella non exterruit,
49 idem, urbe capta, fronte non tristi ferox,
50 non impotens victoria,
51 non ira et odio saevus implacabili,
52 non efferatus caedibus,
53 perambulavit liberas metu vias,
54 ceu pace festa, exercitus.
55 Non insolentis militis formidine
56 matrona cultus exuit ;
57 non officina clausa merces abdidit,
58 non hospes aurum credidit
59 solo refosso. Non pudori filiae
60 parens, maritus conjugii
61 vim expavit ullam. Subitus oppressae sonus
62 urbis, turbarum et cornuum
63 clangor, virorum clamor, armorum fragor,
64 vulgi infidebant auribus.
65 Caedes ob oculos, et fuga, et ferrum madens
66 cruore nondum frigido.
67 Volvebat animus quid facere victor, pati
68 victor soleret : tot tamen
69 inter timores vim timere, te duce,
70 nemo sibi permiserat.
71 Cum tu tot animos militum, tot ensium
72 sic temperares impetum ;
73 ceu versat animus corpus unum, et corpore
74 enata ab uno brachia.
75 Natura genitrix tam novam discordium
76 rerum videns concordiam.
77 Leges stupebat non minus vinci suas,
78 quam vatis olim Thracii
79 ad carmen amnes stare, silvas currere,
80 cervo leonem, ovi lupum
81 mitem accubare, et acribus lepusculum
82 latus molossis jungere.
83 Ego hunc triumphum, hac te decorum gloria,
84 Coffae, malim cernere,
85 quam spolia regum, dirutarumque urbium
86 contaminatum gaudium.
87 Sed quando tanto dissitis caelo et solo
88 sors invida id praecluserit,
89 te prosequemur mente grata, qua licet
90 et vota nuncupabimus ;
91 haustusque dulcis Liberi libabimus
92 heroas inter sospites ;
93 canetque victor pariter et victus tuum
94 hic robur, hic clementiam.

JOANNIS CALVINI EPICEDIUM.

M_24 v.1 Si quis erit nullos superesse a funere manes
 2 qui putet, aut si forte putet, sic vivit, ut Orcum
 3 speret, et aeternas Stygio sub gurgite poenas,
 4 is merito sua fata fleat, sua funera ploret
 5 vivus, et ad caros luctum transmittat amicos.
 6 At nos, invitis quamquam sis raptus amicis
 7 ante diem, magnis quamvis inviderit ausis
 8 mors, te flere nafas, Calvine, et funera vanae
 9 ludibrio pompae, et miseris onerare querelis.
 10 Liber enim curis, terrenae et pondere molis,
 11 astra tenes, propriusque Deo, quem mente colebas,
 12 nunc frueris, puroque vides in lumine purum
 13 lumen, et infusi satiatus Numinis haustum
 14 exigis aeternam sine sollicitudine vitam :
 15 quam neque dejiciunt luctus, nec tollit inani
 16 ebria laetitia spes, exanimare timores,
 17 quaeque animo offundit morbi contagia corpus.
 18 Hanc ego quae curis te lux exemit acerbis
 19 natalem jure appellem, qua raptus in astra
 20 in patriam remeas, et post fastidia duri
 21 exsilii, mortis jam mens securae secundae,
 22 fortunae imperio major, primordia longae
 23 ingreditur vitae. Nam ceu per corporis artus
 24 quum subiit animus, pigrae vegetatque movetque
 25 molis onus, funditque agilem per membra vigorem ;
 26 quum fugit, exanimum jacet immotumque cadaver,
 27 nec quicquam est luteae nisi putris fabrica massae :
 28 sic animi Deus est animus, quo si caret, atris
 29 obruitur tenebris, specieque illus inani
 30 fallaces rectique bonique amplectitur umbras.
 31 Ast ubi divini concepit Numinis haustum,
 32 diffugiunt tenebrae, simulacraque vana facessunt,
 33 nudaque se veri facies in luce videndam
 34 exhibet aeterna, quam nullo vespere claudit
 35 saepta caput furvis nox importuna tenebris.
 36 Hunc ergo in portum caelo pludente receptus
 37 tu licet in placida tranquillius pace quiescas,
 38 non tamen omnino potuit mors invida totum
 39 tollere Calvinum terris ; aeterna manebunt
 40 ingenii monumenta tui : et livoris iniqui
 41 languida paullatim cum flamma resederit, omnes,
 42 relligio qua pura nitet, se fundet in oras
 43 fama tui. Ut nuper falso te nomine Clemens,
 44 te Pauli duo, flagitiis et fraude gemelli,
 45 te Juli timuit rabies, te nobilis una
 46 fraterna impietate Pius : sic nominis umbram
 47 ingeniique tui effigiem post fata timebit
 48 vana superstitione : quique olim in sede Quirini
 49 triste furens, flammaque minax ferroque tyrannus
 50 transtulit inferni cuncta in se munia regni,
 51 imperio Pluto, foedis Harpyia rapinis,
 52 Eumenis igne, Charon Naulo, triplicique corona
 53 Cerberus, immissi stupefactus lumine veri,
 54 terrificoque tuae dejectus fulmine linguae,

55 transferet infernas in se post funera poenas :
 56 inter aquas sitiens, referens revolubile saxum,
 57 vulturibus jecur exesus, cava dolia lymphis
 58 frustra implens, Ixioneum distentus in orbem.

JOANNI ARESKINO, COMITI MARRIAE, SCOTORUM PROREGI.

M_25 v.1 Si quis Areskinum memoret per bella ferocem,
 2 pace gravem nulli, tempore utroque pium ;
 3 si quis opes sine fastu, animum sine fraude, carentem
 4 rebus in ambiguis suspicione fidem,
 5 si quod ob has dotes saevis jactata procellis
 6 fugit in illius patria fessa sinum ;
 7 vera quidem memoret, sed non et propria : laudes
 8 qui pariter petet has unus et alter erit.
 9 Illud ei proprium est, longo quod in ordine vitae
 10 nil odium aut livor quod reprehendat habet.

MATTHAEO STUARTO, LEVINIAE COMITI, SCOTORUM PROREGI.

M_26 v.1 Regis avus, regis pater, alto e sanguine regum
 2 imperio quorum terra Britanna subest,
 3 Matthaeus : genuit Levinia, Gallia fovit,
 4 pulso Anglus thalamum, remque decusque dedit
 5 coepi invicta manu ; famam virtute refelli,
 6 arma armis vici, consilioque dolos.
 7 Gratus in ingratos, patriam justequae pieque
 8 cum regerem, hostili perfidia cecidi.
 9 Care nepos, spes una domus, meliore senectam
 10 attingas fato, cetera dignus avo.

ANNAE VALFINGAMIAE THOMAE RANDOLPHI UXORI.

M_27 v.1 Anna hic Randolphi jaceo cum prole sepulta :
 2 et genitrix, uno et mortua et orba die.
 3 Et genus et facies populo sunt nota ; sed uni
 4 sat mihi sit mores complacuisse viro :
 5 quos gemitu probat, et lacrimis, curaque fideli,
 6 nec patitur famam me moriente mori.

AD CAMILLAM MORELLIAM.

M_28 v.1 Camilla, multo me mihi carior,
 2 aut si quid ipso est me mihi carius,
 3 Camilla, doctorum parentum
 4 et patriae decus et voluptas ;
 5 ni Gratiae te plus oculis ament,
 6 ni te Camenae plus oculis ament,
 7 nec Gratias gratas, nec ipsas
 8 esse rear lepidas Camenas ;
 9 quae virgo nondum nubilis, artibus
 10 doctis Minervam, pectine Apollinem,
 11 cantu Camenas, et lepore
 12 vel superes Charites, vel aequas.

13 Hos ferre fructus, Utenhovi, decet
 14 laurum, vireto quae teneram comam
 15 nutrit, et ramos refudit,
 16 Castalio saturata rore.

IN RUSTICUM.

M_29 v.1 Rusticus 'hem' cunctos cum congeminaret ad ictus,
 2 hiberno properans findere ligna foco,
 3 syllaba quid toties juvet 'hem' geminata, laborem,
 4 quaerenti uxori, rettulit ille, juvat ;
 5 nempe simul toto contentis corpore nervis
 6 in rimam cuneum fortius ictus agit.
 7 Illa memor Veneris media inter gaudia, telum
 8 ut penetret magis, 'hem' congeminare jubet.
 9 'Nil opus est, inquit, nunc hoc conamine, conjux,
 10 findere te sane nolo, forare volo.'

E GRAECO SIMONIDIS.

M_30 v.1 Homo cum sis, nihil affere stabile ;
 2 nec ubi videris hominem, certa
 3 spatia aetatis promitte : etenim
 4 muscae volucris res in morem
 5 inconstantia rotat humanas.

EX EODEM.

M_31 v.1 Ut aram fugias, fata non fugies tamen.

EX EODEM.

M_32 v.1 De luce cassis cor memoriam non supra
 2 unum tenebit, si cor habeamus diem.

AD HENRITUM SCOTORUM REGEM.

M_33 v.1 Caltha suos nusquam vultus a sole reflectit,
 2 illo oriente patens, illo abeunte latens :
 3 nos quoque pendemus de te, sol noster, ad omnes
 4 expositi rerum te subeunte vices.

AD CAROLUM UTENHOVIUM.

M_34 v.1 Morte carent superi : superis par cetera diva est,
 2 Saxonidas justo quae regit imperio.
 3 At morte ut careat mortali stirpe creata,
 4 non dare Lysippus Praxitelesve potest :
 5 Musa potest fati domitrix, quae pectora vatam
 6 enthea fatidico plena furore quatit.
 7 Te manet, Utenhovi, decus hoc, decus hoc manet illam,
 8 ut celebris numeris fiat uterque tuis :

9 solus enim vates es tali Heroide dignus,
10 haec sola ingenio est area digna tuo.

AD SALUTEM IN NUPTIIS REGINAE.

M_35 v.1 Alma salus, reduci tibi Nymphae haec vota dedere
2 quattuor, ut dominae conciliere suae,
3 ejus et aeternam statuas in pectore sedem :
4 non alia poteris sanctius aede coli.

HYMNUS UN CHRISTI ASCENSIONEM.

M_36 v.1 Io triumphe, Ecclesia,
2 jam victor hostium tuus
3 dux templa scandit aetheris,
4 adversa patri vulnera
5 it et coronam ostendere,
6 qualis redit de proelio
7 tabo decoro sordidus.
8 Demissa nubes se explicat
9 sub Imperatoris pedes :
10 invitat omnem exercitus,
11 vox Angelorum cantibus
12 venire Regem nuntiat ;
13 aether nitescit gaudio,
14 timore pallent Tartara,
15 mundus stupet spectaculo
16 suspensus anta incognito ;
17 mors victa flet, spes praemii
18 levat labores militum.
19 Cum Patre Proles unica,
20 et ex utroque Spiritus,
21 adeste sic pugnatibus,
22 ut sint triumphus compotes.

E GRAECO STOBELI DE BREVI TATE VITAE.

M_37 v.1 Rebus in humanis nulla est constantia certa,
2 veridico vates Chius ut ore canit.
3 Non minus est foliis hominum gens fluxa caducis :
4 pauci ubi ceperunt auribus ista suis
5 pectoribus fixere ; animus namque indita quondam
6 spes teneris blande credula corda fovet.
7 Et dum laeta viret jucundo flore juvena,
8 percursant animos irrita multa leves ;
9 nec senium mortemve pavet, neque corpore sano
10 provida venturi cura doloris adest.
11 O male stultorum mens credula, qui brevis aevi
12 tempora non norint quam fugitiva volent !
13 At tu praemonitus nigrae ad confinia mortis
14 laetus age, et genio gratificare genio tuo.

APUD CLEMENTEM ALEXANDRINUM, STROM. LIB. 6

M_38 v.1 Muliere nulla res viro praestantior
2 bona evenire, nil mala pejus potest.